


V2 114.
~~114~~





111



Traktatg in hoc Libro Contenti.

- 1 Danielis Lipsiorij Specimina Philos. Cartesianae.
- 2 Egdem - - - Copernicij Revivij.
- 3 Anonymi - - - Schema Mundi.
- 4 Samuelis Reyheri Dissert. de Mundo
- 5 Glaseri - - - Mundi ad instar Libri.
- 6 M. Petri - - - Deus in Naturae admirandis representatg.
- 7 Arnoldi - - - Sacra Mathefis.
- 8 Schickardi - - Mappa Geographica.
- 9 G. Hankardi - - Dissert. de Salibg.
10. Kepleri - - Trakt. de Nive Sexangula.
- 11 Prof. Schmidij - - Program. de Fatis Disciplinarum.
- 12 Prof. Weigelij - - Heraldica Coeli fauces.
- 13 Egdem - - Methodg Discendi Hor. Antiqua
- 14 Egdem - - Memoria Temporum.
- 15 Egdem - - - Sussatz von Information des Christen in das.

Poffidet me
M. Lucas Beselein. Rost.
A^o 1690.

11
JO. ANDREÆ SCHMIDI *an 71*

Logic. & Philosoph. primæ Prof. Publ.

De
FATIS DISCIPLINARUM
MATHEMATICARUM

Programma,

Lectioibus præmissum,

quas,
præter professionis suæ publicas,
extra ordinem,

super parte speciali Ideæ Matheseos

ERHARDI WEIGELI

Mathem. Prof. Publ.

Quem domo absentem, per justas profectiones,

à
SERENISSIMIS NUTRICIIS

in hunc usum concessas,

adhuc distinet

GLOBORUM EUROPÆORUM

suprema elaboratio,

vicario munere

instituet.

JENÆ LITERIS WERTHERIANIS.

JO. ANDREAE AMIDI
Logic & Philosoph. p. p. publ.

FATIS DISCIPLINARUM
MATHEMATICARUM

Programma

Lectionibus praesentibus

præter professionis suae publicas
extraordinarium

per parte specialis hanc Matheseos

ERHARDI WEIGELI

Matheseos. P. p. publ.

Quem domo selectum per iustas protectiones

ZERENISSIMIS VOTIS

in hunc alium concessis

hunc distinet

GLORIAM EUROPEORUM


suprema elaboratio

vicario munere

intituet.

Jussu Literis WERTHEIMIANIS




 **V**od usque quaque fieri, c omni ætate, so-
litum est, ut, quæcunque iudicio homi-
num proposita sunt, varia illorum omni-
um fortuna existat, & prætia, vario tempo-
re; ejus rei philosophia in primis gravissi-
ma habet documenta. Facilis hæc æsti-
matio erat, nullo alio, præ sapientiæ gloria, & sublatam
esse, supra animantia terrestria, rationem mortalium, nec
ad coeleste NVMEN propius admoveri ullo alio; quod
tamen tantæ humani ingenii intemperiæ sunt, ut, quæ
sunt saluberrima, sæpius abjicere & conculcare malit,
quam meditato animo intelligere, plerumque autem
censuræ sibi rapiat licentiam, ante studii laborem
quam ferre queat, factum fuit inde, ut, in re tam prom-
ta quamvis & obvia, tamen turpissime, frequentissimo-
que errore, laberetur. Quæ cujusque partis fata, in dif-
fuso sapientiæ orbe, a priscis illis conditoribus, per po-
sterorum ævum iverint, diu est, cum peculiari pruden-
tum sollertia expositum fuit: atque, quo præstantior cui-
que contigerat sagacitas, eo magis & origines tam obsti-
natæ vicissitudinis evestigari, & calamitas æstimari pot-
erat: quæ comes subsequeretur certa, quotiescunque
in pejus decideret seculum, vel minari saltem ruinam in-
choaret. Est, ubi ad invidiam efflorescit temporis felici-
tas, & mirifice continuatur, quasi per sponsionem cum
forte bona; est, ubi unus tum homo, & mature, prola-
psam restituit rem; est etiam, ubi, qui sani esse malebant,
omnibus viribus, antiquo malo nequicquam reluctan-
tur. Tanti est, si non digno loco ponatur hoc maxi-

)2(

mum

num omnium largitoris DEI depositum. Justa vindicta ejus subtrahitur usura, & in profundam noctem reconditur, parentum culpa suaque devotis posteris. Tum demum homo intelligit, sero sapiens, non ut fungos sublimia connasci ingenia; ornamenta etiam humanarum artium non in sola ipsius manu verti, sed, & largo abundare proventu, & sterilitate vanescere, prout horum ARBITER colitur, negligitur. Ceterum multorum est hæc conquestio, ut in communi philosophiæ calamitate. Quod nostræ proprium est provinciæ, & quantum in iis studiis vices commutarint, quæ Mathematica ex antiquo appellamus, advertite, Auditores. Horum præstantiam, & incredibilem efficaciam, in innumeris vitæ utilitatibus, ii etiam satis agnoscunt superque, quibus, si parum sapientibus, tamen sanis esse liceat. Non enim ratione solum facile ea commoda assequimur, sed manibus quoque propemodum ut teneamus, tam illustria sunt. atque ita late patent, ut, cum pacis temporibus summam faciant felicitatis, tum bello, si quod ingruat in terras, mediisque in armis, ubi omnes cum legibus Musæ ceteræ silent, sola ea sint maximo adhuc usui & oportunitati. Vidit hoc prisca ætas, quæ in omnibus bonæ auspicia fortis, non invida futuro generi, adinvenit; eoque concordi consensu, quicquid ab ingenii nervis, quicquid a laboris assiduitate, proficisci potuit, illud omne in ista subsidia contulit, ut primum suam speciem paullatim ea studia prodidere. Eventus docuit, quam dextro numine id sit actum. Omnes enim hoc consentiunt, nisi iis nos auctoribus niteremur, sera progenies, nisi hac duntaxat via sapientiam illi vestigassent, nunquam utique

que futurum fuisse, ut, qui deinceps sequerentur anni, no-
strique, tantam lucem scientiarum, a tantis retro seculis,
usurparent. Qui nihil literis proditum inde usque ad
nos transmiserunt, fide tamen mox secutorum homi-
num merita laude carere non poterant, & vel signis fa-
miliaribus, ut illa artificum portenta, Apelles, Parrhasi-
us, aliique, qui fuerint, qualesque, oculis perinde ac
mentibus abunde proponuntur. Ceteri quasi superio-
ri de loco ea dicunt, aguntque, omnes: ut sibi etiam qui-
que saperent posterorum, quibus majores tantum ut ni-
hil profuturum lateret, laborassent. Plato, ut testator es-
set memoria, Scholæ limini inscripsit, ne ἀγωμέτην  sub-
ire sustineret. credo, ut hoc persuaderet, prudentiam æ-
que atque sapientiam, quibus primum caput extulissent
adminiculis, iisdem semper acquiri, augeri. Est hic e-
nim, qui nihil minus quam in tenui supervacuoque ope-
ram lusit: Rem publicam instituit, & qua arte, quos o-
porteret, felicissime in ea versarentur, animo figuravit,
quod opus humanæ virtutis maximum est existiman-
dum. Aistu, utilia hæc non esse, falsa tota? audimus cla-
ra nomina, & quanti sectatores illorum allegentur, quo-
rum scita in alia potius omnia devertissent. Vos, audi-
tores, fidenti animo peccus criminationi obsistite, quæ
nihili est. Multi sunt, quibus eæ calumniæ, graviores-
que, sunt innocentissimis adspersæ, sed non nisi ab iis,
qui vel mente non sequebantur magna ingenia, per im-
becillitatem; vel deliberato, & per malitiam, ad qualem-
cunque speciem, illorum infamiam quæritabant. Si par-
tim vera præstari queant, quæ objiciuntur, isti nempe
κέρματα jactant & κερκοδείλεις, & hujus generis scævas alias

)3(

ap-



appellationes, in quibus mirum quantum excellissent
sui artifices, præ quibusque Matheseos studia non teme-
re eleuasse viderentur. Faciliori ita opera vincetis. Affa-
niæ hæ publico intelligentium sensu exploduntur, ac, ut
morbus, propulsantur, istorum, quorum mentis *φαντασία*
haud est constans. quibus semper placent, quæ cum
ceteris nequeunt communicari, solique contra, quan-
tum in se est, per fastidium tollunt & interficiunt, quæ
nemo, non infelix, veritate docente, non novit, & tuetur.
Itaque est iniquum, ut mollissime dicamus, gloriam di-
minuere, aut intervertere, scientiarum, quæ, ad summam
utilitatem, de vita communi meruerunt: quam, nulla un-
quam aduersaria, tenuerunt gloriam, quoad fatales ad
temporis infelicitatem tenebræ terras non obruere. Quæ
res utinam tanto malo, tanto nobis dedecore non con-
stitisset. Nemo lubens in istud ævum ferale vel memo-
ria & recordatione retro eat. cuius tanta est foeditas, ut
vix homines vixisse, censerî possint, qui in isthoc inerra-
runt, si cum priori mundo contendantur. Tum certe
fortuna mutavit. Jam enim in infamia ponebatur, qui
principum olim hominum honos erat, & dignitas sum-
ma. Monstra rerum, quæ plurima, per istam barbariam,
emerferunt, notiora credimus esse, quam ut a nobis o-
pus sit ea conduci. Nescirique potius isthæc prorsus o-
porteret, quæ ad publicum humani generis opprobri-
um pertinere posse videantur. Si quando movere inci-
perent lacertos disciplinæ divinæ, intra spem duntaxat
tenuem ea subsistebant: &, in summa quæ emicabant,
dubiæ reliquiæ, & stricturæ, candidissimi olim luminis
erant. Nostro demum tempori lætior facies debebatur,
DEO

DEO faciente. Longe hæc ornamenta, velut sidera, Eu-
ropam nostram jam nunc distinguunt, tantoque locis
quibusdam cum conatu, & fortuna, ut priscum instar,
spes esse queat, brevi reductum iri. Ominis boni ac
gloriæ causa appellamus SERENISSIMUM PRIMO-
GENITUM AVGVSTI LEOPOLDI NOSTRI, in-
victi magnum Patris incrementum, qui adhuc in sapi-
entia, Principumque virtutibus, non institutus solum
est, ad veterum illa vestigia, i. e. per Matheseos lætas do-
ctrinas; verum etiam, in tam tenera quamvis ætate, il-
lustria profectuum specimina ponere valuit. Liber is
est, quem alias vobis amplius commendabimus, Audi-
tores. Nemo tam parum, putamus, videbit, quin hoc
arbitrari habeat, toti hinc seculo gratulandum esse. Ad
Regum enim exempla parentium componitur orbis,
qui si a divite mentis cultu bene instructi sint, felicitatem
suis terris, comitem sapientis imperii, etiam dum aliud
agunt, introducunt. Reperire prudentissima hæc in-
stituta in aliis quoque aulis possemus, & maximo foret ex-
emplo **ILLVSTRISSIMVS PATRIÆ NOSTRÆ**
PRINCEPS, qui etiam Ephorum votis, in his amœ-
nitatibus, longe præcurrit, si illud nunc ageremus. Faxit
DEVS, ut in Germaniæ gaudium ferum, ac faustissima
fata, redundet, quæ adhuc spes est nostra, & haud vani
omnis expectatio. De cetero audite denique, cur ego
præter consuetudinem ad vos illa proloquar. Eadem,
quæ laudavimus, studia, & nos post hac illustraturi vobis
sumus: atque hæc lectio nunc significanda erat. Cur
extra ordinem illud munus vobis tradatur, credimus ipsi-
met existimare facile potestis. Nostis enim, quam curam,

as-

assiduitatem, quasque impensas plurimas DN. ERHARDUS WEIGELIUS ad omnes earum disciplinarum partes, longa adhuc ætate, attulerit. Illustris, ac pervagata in communem Remp. meritorum fama, gravis est testificatio, quæ commoda utilitatesque consecutæ sint eam sollertiam. Atqui idem agere ille perseverat, qui propediem Globos Europæos, quos sublimi concinnavit ingenio, ex ultima mânu dabit in publicum. Per loci nostri naturam istam fieri oportebat, ut artifices atque operæ per perfectiones quærentur, quæ causa nunc iterum in viam impellit, & præsentem Vobis esse Professore, non patitur. Lectionibus tamen sollemnibus ne quid decederet, mihi provinciam officii vicariam collega collegæ commendavit, jubente id etiam SERENISSIMORVM NVTRITORVM NOSTRORVM auctoritate. Neque jam de argumento illarum laborandum erat. aptissimum esse, & ad utilitatem maximi momenti, videbatur, si tela pertexeretur, quam ipse exorsus erat. Hæc autem *Idea universa Mathematicos* est, quam ipsemet auctor auditorum usibus publicavit. In qua cum partem alteram, quæ generalia complectitur, nuper absolvisset, nos inde ad specialem, ratio ferebat, ut pergeremus. Varia adeo Speciminum mathematicorum genera, pro fœcunditate disciplinarum multiplici, ad eum ideæ ductum, producemus, atque explanabimus. In Geometria quidem filium Archiducalis libelli, quem supra prædicabamus, sectabimur, commemorabilis exempli ergo, & raræ gloriæ. Vos favebitis, ut par erit, labori novo, ut nostra etiam studia amplius excitentur. PP. Dom. IX. Trinit. d. 24. Julii, MDCLXXXVII.

Oa 785, 8


ULB Halle 3
002 616 130




Sb.

Reff. ✓
VD 17







JO. ANDREÆ SCHMIDI *an 11*
Logic. & Philosoph. primæ Prof. Publ.
De
**FATIS DISCIPLINARUM
MATHEMATICARUM**
Programma,
Lectiõibus præmissum,
quas,
præter professionis suæ publicas,
extra ordinem,
super parte speciali Ideæ Matheseos
ERHARDI WEIGELI
Mathem. Prof. Publ.
Quem domo absentem, per justas profectiones,
à
SERENISSIMIS NUTRICIIS
in hunc usum concessas,
adhuc distinct
GLOBORUM EUROPÆORUM
suprema elaboratio,
vicario munere
instituet.

JENÆ LITERIS WERTHERIANIS.

